

aut legis respectu voluntatis, quod non potest ratio habere ex se, quia non habet potestatem superioris respectu voluntatis: neque idem homo patet proprie jurisdictionem in se ipsum, ut se possit proprie per legem obligare, et eo modo quo se potest obligare necesse est ut oriatur id ex voluntate. Ratio ergo ut ratio, et ut regulans voluntatem non inducit propriam rationem legis, nisi quatenus participat, vel applicat praeceptum alicuius superioris, scilicet Dei, vel alterius qui participet potestatem ejus. Secundo modo potest intelligi hic respectus ad rectam rationem: non ut praeципientem proprie, sed ut proponentem et judicantem de ipsis objectis secundum eorum naturam, seclusa lege superioris, sicut judicat ratio, mentiri esse malum et disconveniens naturae rationali ut sic, etiamsi a nullo superiori sit prohibitum.

10. *Impugnatur jam in primo sensu.* — *Primo.* — *Secundo.* — Si ergo loquamur in priori sensu, sic esse regulabile per rationem, vel legem non potest esse ipsum esse morale: primo, quia in Deo ipso potest intelligi actus, vel actio moralis, sicut in eo intelligitur libertas et honestas, quidquid enim Deus operatur, bonum est, et ipsa operatio, ut est ab ipso, potest dici moraliter bona bonitate justitia, aut misericordia, aut veritatis, propter quod non tantum est dignus honore, sed etiam laude: Deus autem est supra omnem legem: ergo absque respectu ad legem intelligitur esse, et bonum morale. Unde est reperiri in hoc aliquid singulare in Deo, quia cum operatur libere, nullum esse reale liberum in ipso ponitur, sed tantum in actione ad extra, et ideo si quid est moralitatis in actibus Dei, magis est in actibus externis, quam in actu interno, quamvis in illo etiam considerari possit esse terminatum ad extra. Secundo autem in homine intelligitur recte esse morale absque respectu ad legem, nam, ut dicebam, haec conditionalis est vera, si per possibile, vel impossibile homo non haberet superiorem, vel ab eo non gubernaretur per legem, nichilominus per rationem judicando dare eleemosynam esse per se conveniens naturae, homicidium autem esse disconveniens, libere operando juxta haec dictamina, operaretur moraliter, et bene aut male: ergo moralitas operationis humanae non est sumenda per se primo ex respectu ad legem. Tertio etiam nunc posita lege non ideo actus est moralis, quia regulatur per legem, sed e contrario potius, quia homo est morale agens, et non habet voluntatem indefectibilem a bono, ideo indiget lege superioris inclinantis in bonum, et avertentis

a malo: ergo esse regulabile per legem, supponit potius esse morale, quam illud constitutum, et ideo nullus actus necessarius potest vere ac proprie per legem regulari, quia non est moralis, sed naturalis, de naturalibus autem nondatur praecepta. Unde confirmatur, nam supposita in actu voluntatis habitudine intrinseca ad suum objectum et sua principia, esse regulabilem per legem, nihil ei addit praeferendum, et denominationem extrinsecam a potestate legislatoris: non potest autem esse morale poni in hac denominatione; tum quia illa est omnino ab extrinseco, esse autem morale debet esse aliquo modo ab intrinseco: tum etiam, quia quod actus sit regulabilis hoc modo, non provenit ex potestate hominis, sed Dei et superioris: esse autem morale debet esse in actibus humanis ex parte hominis, ideo enim per hoc esse meremur, vel demeremur, laudamur, vel vituperamur. Quarto si in hoc respectu consistet esse morale, tam primario convenienter actibus externis sicut externis voluntatis: consequens est contra communem sensum philosophorum moralium et theologorum, quia mores hominum ut sic, per se primo pendent a voluntate. Sequela probatur, quia lex tam per se primo regulat actus externos, sicut internos, imo nonnunquam lex non prohibet, vel praecipit internum, nisi ob externum, ut patet de lege non furandi, vel dandi eleemosynam, quod est signum hanc regulabilitatem, seu hunc respectum non esse proprium actus moralis ut talis est, sed per se extendi ad objectum moralium actuum.

11. *Prenotatio triplicis respectus in secundo sensu posito num. 9.* — Si vero loquamur in posteriori sensu, hoc est, de recta ratione solum prout lumen manifestans id quod est in rebus et in objectis prosequendis, vel vitandis a voluntate, triplex respectus potest considerari ad hujusmodi rectam rationem. Primus ex parte ipsius objecti in quod tendit voluntas, in quantum illud censem bonum, quod est conforme rectae rationi, et malum quod est difforme. Secundus ipsis actus voluntatis ad tale objectum, quia tendit in illud, amando, vel refutando illud. Tertius est inter actum voluntatis et judicium intellectus, qui intelligi potest ad modum cuiusdam similitudinis, vel cujusdam proportionis, quae in hoc consistit, quod voluntas ita versatur circa illud objectum, sicut intellectus judicat esse faciendum: in nullo autem horum respectuum potest consistere esse morale actus voluntatis.

12. *Impugnatur jam secundus sensus quoad*

*primum respectum multifarium.* — Probatur de primo respectu. Primo quidem, quia ille respectus potest antecedere omnem actum moralum, ut si intellectus judicet eleemosynam esse faciendum hic et nunc, et voluntas non moveatur, ibi nullus est actus moralis, quia judicium illud intellectus naturale est, et tamen est illa conformitas objecti ad rectam rationem. Quod si dicas ibi esse objective solum, non vero secundum existentiam donec actus fiat eleemosyna. Respondetur imprimis id esse per accidens ad rationem objecti voluntatis in quantum illud idem quod est objectum intentione, postea est effectus voluntatis in executione: unde si objectum diligendum non sit, actus hominis humanus et liber poterit secundum existentiam antecedere cum illo respectu actum morale, ut si consideretur Deus ut diligendus, vel visio beata ut honeste amabilis. Unde etiam intelligitur hunc respectum non esse proprium actus moralis ut sic, sed latius patere: non ergo potest esse morale constitui formaliter per ipsum. Tandem, quia si recte consideremus objecta morum, non sunt honesta, quia conformia rectae rationi sub hac consideratione, sed potius quia ipsa ex se talia sunt, ideo recta ratio judicat esse facienda: ut dare eleemosynam non ideo est honestum, quia recta ratio judicat esse dandum, sed potius ideo ratio judicat esse dandum, quia in eo objecto invenit honestatem et quamdam conformitatem cum fine et natura hominis, ut latius disputatione sequenti, ergo ille respectus conformitatis objecti ad rationem non est quod formaliter constituit illam honestatem vel moralitatem, quae in objecto potest intelligi, sed est quid consequens ad illam supposito judicio rationis, sive ille respectus sit realis, sive rationis, quod parum ad praesens refert, quamvis probabilius sit ex parte objecti esse respectum rationis, qualis est scibilis ad scientiam. Ex quo capite etiam concludi potest esse morale non consistere in hoc respectu, formaliter loquendo, quia non potest esse proprie ens rationis, ut probant argumenta facta in initio questionis.

13. *Impugnatur deinde quoad secundum respectum.* — De secundo respectu actus ad objectum facile est ex dictis probare non consistere in ea esse morale. Primo quidem, quia in hac habitudine consistit substantia et entitas ipsius actus, specificatur enim ab objecto etiam in suo esse physico et naturali: ostensum est autem supra esse morale formaliter non esse solam substantiam, vel entitatem actus: ergo

non potest consistere in sola hac habitudine. Secundo, quia hic respectus abstractus ab actu morali, et non morali, in amore enim beatifico reperitur respectus ad objectum valde conforme rationi, et tamen in illo actu non est esse morale.

14. *Impugnatur deinde quoad tertium respectum.* — De tertio respectu actuum inter se imprimis fieri potest eadem ratio, quia hic respectus abstractus ab esse morali et non morali, nam inter visionem beatam quatenus continet judicium de Deo diligendo, et inter dilectionem beatificam, est illa conformitas, quia voluntas ita tendit, sicut intellectus judicat esse tendendum, et tamen in illis actibus non est moralitas. Secundo, quia cum haec relatio sit ad modum relationis similitudinis, supponit existentiam utriusque extremi ut resultet: ergo quatenus hic respectus potest resultare in actu morali voluntatis, prius natura supponit ipsum actum ut existentem, et dimanantem a voluntate et ratione, quam resultet ibi conformitas illa ad rationem: ergo hic respectus ut sic non constituit, sed supponit esse morale: sicut in rebus naturalibus, ut effectus referatur ad causam relatione similitudinis, prius natura supponi debet ut existens et dimanans a causa: sic enim actus moralis voluntatis ut sit in re ipsa conformis actui intellectus, debet supponi ut manans a voluntate ut elicente, et aliquo modo ab intellectu ut dirigente: ex hoc autem praecise intelligitur actus moralis, prius quam intelligatur resultare aliis respectus quod probo, nam ex hoc praecise est homo dignus laude, vel vituperio: nam respectus postea resultans est quid per accidens, et praeter intentionem. Omitto valde probabile esse hunc respectum esse solum rationis, quia non est fundatus in vera unitate, vel convenientia, quae inest inter actus, id est, inter judicium intellectus et amorem voluntatis, sed fundatur in quadam proportione vel proportionalitate solum, quae non satis est ad respectum realem. Nullo ergo modo potest hoc esse consistere in solo respectu ad rationem. Quod si tandem dicatur non sumi hic hunc respectum in eo rigore, sed solum ut significat emanationem quamdam actus voluntatis a judicio rationis. Respondetur primo hoc esse valde impropositum significari per respectum conformitatis vel diffinitatis: ac deinde verum quidem hoc esse necessarium ad actum moralem, non tamen sufficere, nisi ex parte voluntatis aliud adjungatur, quia in actu non morali potest ille modus emanationis a ratione reperiri.

15. Dicendum est ergo primo, *Esse morale* in actu voluntatis præter entitatem, et substantiam ejus nihil addere, nisi modum cuiusdam emanationis, seu cuiusdam moralis dependentia a ratione advertente, et a voluntate libere operante. Hæc assertio probari potest primo a sufficienti enumeratione, quia, suppositis exclusis, nihil aliud excogitari potest. Secundo, quia posito illo modo operandi in actu voluntatis, impossibile est quin sit moralis, et non posito illo modo, impossibile est esse moralis: ergo per illum constituitur in esse morali. Dices hoc genus argumentandi habere locum in quacumque conditione necessaria, et ita solum concludit libertatem, vel advertentiam esse conditionem necessariam ad actum moralem, non vero esse principaliter ipsum esse morale. Respondetur argumentum esse efficax ex materia, quamvis non sit ex forma, quia ibi nihil aliud innuitur, quam quod præter conditionem necessarium sit principium formale, et quia in tali conditione nihil reperitur quod sit, præter rationem formalem recte concluditur per illud constitui formaliter rem, quo posito habet talem denominationem, et ablato non habet. Tertio est optima ratio, quia posito in voluntate illo modo emanationis, consequuntur proprietates morales actus moralis ut sic, et augmentur, vel minuuntur in ordine ad illum modum, quia, cæteris paribus, eo actus est laudabilior, vel vituperabilior, quo fit cum majori libertate, vel advertentia. Et hinc est illud axioma, *Peccatum in tantum est peccatum, in quantum est voluntarium*, quod supra dictum est, intelligendum esse de voluntario et libero rationali. Ergo signum est actum moralem formaliter consummari per illum modum operandi, nam rei proprietates manifestant essentiam.

16. Dicendum secundo: hic modus non est aliquid physice et intrinsecè inhærens actui morali, sed in actu exteriori dicit denominationem ab actu libero voluntatis: in ipso autem actu voluntatis dicit præter physicam emanationem a voluntate, denominationem a ratione dirigente, et a voluntate ex plena potestate ita operante ut possit non operari. Prima pars hujus sententiæ constat ex dictis contra secundam opinionem supra impugnatam. Secunda vero pars sumitur ex D. Thoma prima secundæ questionis 18, articulo 6, ubi hac ratione dicit non esse aliam moralitatem in actu exteriori, quam in interiori, et quæstione vigesima, articulo tertio et quarto, ex eodem principio definit actum exteriorem per se non augere

bonitatem, vel laudabilitatem operantis. Ratio etiam est clara, quia eadem actio exterior, si sit a voluntate libera, est moralis: si vero casu et sine advertentia fiat, non est moralis: ergo signum est totum hoc consistere in denominatione a voluntate. Tandem quia actio exterior habet per se totam suam substantiam et entitatem a proximo principio exequenti: ab illo autem non habet esse morale, sed esse physicum: ergo tantum habet esse morale per ordinem ad primum principium movens, et dirigens humano modo, quod est voluntas.

17. Ultimam partem conclusionis insinuavit Durandus in 2, dist. 38, quæst. 1, n. 5 et 6, et patet facile ex dictis, nam de ratione hujusmodi actus moralis imprimis est ut sit per se et intrinsecè voluntarius, et hoc quidem est formaliter et intrinsecè in ipso actu, et realiter, ac de substantia et entitate ejus, ut constat ex dictis agendo de voluntario: hoc autem *Voluntarium* ut sit perfectum, indiget perfecta advertentia rationis, quæ in actu non ponit aliquid præter entitatem ejus, sed solum directionem quamdam, a qua denominatur actus cum advertentia, seu perfecto modo factus. Est accommodatum exemplum in opere artificiose, nam si quis voluntarie, et ex directione artis fingat monstrum, actio est artificiosa: si vero voleas depingere hominem, casu depingit monstrum, actio non est artificiosa, sed deficiens ab arte, et tamen si consideretur physice actio ipsa, eodem prorsus motu physico perficitur. Igitur sicut in hoc exemplo *esse*, vel *non esse artificiosum*, est denominatio ab arte dirigente, ita in actu voluntatis, quod procedat ex perfecta advertentia, solum est denominatio ab actu intellectus. Ultra hoc etiam necessaria est denominatio ab ipsam potentia voluntatis ut potente non elicere, quam agendo de voluntario, ostendimus nihil intrinsecum addere actui voluntatis, quia voluntas ut sic, non influit in illum.

18. Atque hinc intelligitur primo hoc *esse morale* esse diversæ rationis, et quasi analogum in actu exteriori et interiori: nam primum differt in voluntario intrinsecò et extrinsecò: deinde differt in forma, a qua sumitur denominatio, ut declaratum est. Deinde *hoc esse* immediate convenit actui interiori, exteriori vero non nisi per interiore. Secundo colligitur, licet actus morales interiores essentialiter et specificie differant in eo esse reali et intrinsecò quo denominantur *morales*, tamen in modo illo, in quo consummatur *moralitas*, non differre formaliter, sive sint boni, sive

mali, libertas enim voluntatis ejusdem rationis est in actibus bonis et malis: et similiter advertentia intellectus eodem modo fit. Est exemplum in virtutibus intellectus, et in aliis actibus qui sunt ab intellectu ut ratione, nam licet ex objectis differre possint in ratione talis, vel talis scientiae, aut etiam in veritate et falsitate, tamen formaliter in modo ratiocinandi et colligendi non differunt, quia modus operandi intellectus semper est idem: sic igitur in præsenti contingit.

19. Ad rationem dubitandi initio positam respondetur hoc *esse morale* consistere in denominatione intrinseca saltem respectu ipsius actus: quod ideo dico, quia respectu operantis tota hæc denominatio sumitur a potentiss, sive actibus sibi intrinsecis: et ab his rebus quæ sunt in potestate ejus, quod supra insinuavi esse necessarium ad moralitatem. Ad primam rationem et probationem respondetur hujusmodi denominationem proprie non esse ens rationis, quod consistit in fictione intellectus, sed est in rebus ipsis, quæ ita se habent, ut licet una non sit in alia, neque illi inhærent, aut illam informent: habent tamen inter se aliquam habitudinem, vel causalitatem, ratione cuius una denominatur ab altera ut divus Thomas docuit, 1, 2 quæst., art. 2, ad 4, unde hoc videtur solum tribuere relativis, sed intelligendus est non solum de relativis prædicamentibus, sed etiam de transcendentalibus, et de quocumque genere habitudinis realis, nam est eadem ratio, et colligitur ex eodem D. Thoma, 1 p., q. 37, art. 2, et in 1, d. 32, q. 1, art. 1, et d. 40, q. 1, a. 1, ad 2. Ex hac autem rerum habitudine sumit intellectus fundamentum vel ad imponenda nomina, vel ad fingendos respectus rationis: et fortasse nihil aliud sentiunt qui appellant hoc esse, ens rationis, scilicet fundamentaliter, et quia in re denominata non ponit novum esse reale. Unde ad alteram partem illius augmenti negatur hanc denominationem sic explicatam non sufficere ad effectus morales, quia est evidens in rebus humanis multum aestimari et valere hujusmodi denominationem ad morales effectus, nam dominium, jurisdictio, et similia non adidunt rebus physicas entitates, sed morales facultates ortas ex libero consensu voluntatis: et ratio hujus est, quia homines reguntur ratione, et in aestimatione rationis multum præponderat ordo rerum in ordine ad voluntatem et libertatem humanam, et in ordine ad superioris voluntatem, præsertim quia cum præsens denominatio non sit omnino extrinseca

operanti, non est mirum posse ei cedere in laudem, meritum et alios effectus. 20. Ad secundam rationem respondetur, si contingere possit denominationem respectu ejus cui primario datur, esse extrinsecam, posse illam secundario et analogice communicari alicui, cui etiam extrinsecè conveniat mediante re prius denominata: nam calor et substantia cui inhæret dicuntur extrinsecè visa, et nihilominus calor dicitur proprie ac simpliè visus, substantia vero non nisi per accidens et secundum quid: et sic esse visum potest esse quid analogum respectu visibilis per se, et per accidens, et tunc non est necessarium ut primum analogatum sit intrinsecate: et ratio est clara, quia analogia fundatur in proportione quadam, seu proportionalitate: hæc autem sicut sumitur interdum per ordinem ad formam intrinsecè denominatam, ita potest sumi in ordine ad formam denominatam extrinsecè, quando forma denominans habet aliquam variationem, seu ordinem in denominando. Sic ergo in præsenti, quamvis *esse morale* analogice conveniat actibus internis, vel externis, vel aliis rebus: nihilominus potest omnibus per extrinsecam denominationem convenire, quæ primo ac per se convenit actibus internis, per quos communicatur externis: atque hæc est sufficiens responsio.

21. Potest tamen esse alia responsio, quam statim addam respondendo ad alteram partem illius argumenti, quæ in hoc fundabatur, quod forma extrinsecè denominans debet prius in aliquo intrinsecè reperiri: ad quod breviter dicitur, verum quidem esse formam realem extrinsecè denominantem aliud vel inhærendo, vel per identitatem debere esse intrinsecè alicubi: non est tamen necesse ut eamdem denominationem, quam extrinsecè alicui tribuit, prius det intrinsecè alteri, sed potest dare aliam. Exemplum clarum est in visione quæ dominat objectum visum extrinsecè: est tamen intrinsecè in potentia, quam non denominat visam, sed videntem: et in actione transeunte constat esse inhærenter in passo, cui non dat denominationem agentis: et ratio est clara, quia denominatio extrinsecè oritur ex aliqua habitudine formæ denominantis ad rem denominatam: hæc autem habitudo potest esse valde diversa in ordine ad rem extrinsecam, quam sit in ordine ad subjectum. Sic ergo in præsenti, forma a qua actus denominatur *moralis*, radicaliter est in advertentia intellectus, quæ intrinsecè est in ipso intellectu, et